


HENRICI VIII. ANGLORUM RE-
GIS, CUSUS OCCUPATO MORINO
& Tornaco: Anno Chri-
sti 1513.



N^o 0, à partu Virginis 1513. Henricus Angliæ Rex, cum validâ bellatorum manu, Caletum in Flandriæ fines trajecit, bello adorturus Galliæ populos. Huc argento & auro, quod ingens secum advexerat, non modo Cæsarem maximilianum, sed omnem quoque Brabantiæ, Flandriæ, Holandriæ nobilitatem ad se iuvandum pertraxit. Lectissimum equitatum, ac pedites complures è Gallia missos, qui morinum, quod obsessurus hostis videbatur, commeatu levarent, maximilianus partim occidit, partim in fugam compulit. Signa bellica novem amissa: currus onerarij centum quinquaginta abducti. Post hæc Romanorum Imperator maximilianus, & Henricus VIII. Angliæ Rex, magnanimi principes duo, unanimi consensu, morinum, quod præsidio firmaverat Galliæ Rex Ludovicus, omni armorum genere oppugnare adorti, murorum partem dejecere. Atque hinc cum ingens terror civitatem invasisset, facta est deditio hâc lege, ut miles vi abstineret. Ingressus Cæsar Anglo cessit urbis imperium. Postea deditum est Tornacum. Hujus oppidi cives permulti, ne militarem diutius feritatem pati cogerentur, novas sedes in Flandriâ & Brabantiâ quasivere. Henricus & hujus urbis à Cæsare imperio sibi relicto, incredibili sumptu arcem intra muros extruxit, multis inclusis ædificiis: ubi & præsidium ei fuit perpetuum, donec post aliquor annos Gallo urbs redderetur. Opus atque adminiculi ad hæc perficienda multum habuit in copiis Imperatoris & Nobilitate Belgicâ: hæc securitas Regi. Res verò nisi ex animi cessisset sententia, *securitas ipsa altera* erat in consilio repentino, & è re nato: quod per *catarractam pensilem* denotat: quæ hosti in urbem ruenti subito, & unius sæpè viri manu objicitur. *Henric. Barlandus*

in Chronico Belg. Author.

